





M. Ende
d. prima
tonis
Historia
d. vita
Apostol
Arauf
Quod A
d. abs
d. Althe
offim
d. Auro
Arco
Algeb
Aker
Anim

Eng

No. II.

MISCELLANÆ THESES.

Quas

Occasione Discursuum publicorum
collectas,

SUB PRÆSIDIO

JOANN à SCHULTZ SZULECKI, JCT.

privato publicæ disquisitioni submitunt

Respondens

JOANN FRIDER. STÜTZING,

& Opponentes

DD. BENEKENDORF. ET STRIMESIUS.

d. 25. Januar. M D C CII.

Frankfurti ad Viadrum.

Typis TOBLÆ SCHWARTZII.



I.
Distinctio justitiæ inter *Universalem & particularem* ad æqvata non est ipsis justitiæ Regulis, multasque conciliandi & defendendi parit difficultates. Hi tamen artis & scientiæ Juridicæ termini multorum consensu recepti, nec penitus approbari, neque tamen etiam planè rejici merentur. *Universalis enim norma est juris rectorii*, secundum quam suprema Potestas subditorum suorum actiones dirigit, habitâ personarum in conferendis dignitatibus, putiendis reis, eisdemque absolvendis, tributis indicendis &c. ratione, ad salutem Reipublicæ obtinendam & conservandam. *Particularis* verò est *norma Juris æquatorii* secundum quam nullâ personarum habitâ ratione, ex obligatione facti liciti vel illiciti jus cuique suum tribuitur, etiam ultra, quàm ablatum est, in compensationem læsæ securitatis: Ex quâ Justitia particulari fluunt poenæ delictorum privatorum; publicorum verò ex universali.

II.

Distinctio porrò Justitiæ in *Distributivam & Commutativam* non minori caret difficultate. Illa enim prope ad naturam Universalis accedit, hæc verò à *Commutativâ* vix differt. Receptorum verò terminorum in poenis dictandis & exsequendis hic usus esse potest: Nim. poenas dictandas esse secundum normam justitiæ distributivæ, sed exsequendas secundum justitiam *Commutativam*.

III. In

III.

In primâ Juris parte divisio hominum primo loco ponitur, quâ omnes homines distinguuntur inter liberos & servos, utriusque jure N. & Gentium homines & personæ sunt; Jure verò Civili rectè liberi tantùm personæ, & servi homines tantùm, non verò personæ dicuntur.

IV.

Partus sequitur conditionem ventris liberi vel ancillaris J. C: Non tamen partus est in fructu, licet mater serva sit in usufructu: Moribus partus conditionem Patris sequitur. Utriusque & Juris Civ. & Morum tamen justissima, licet diversa, ratio est.

V.

Et liberi & Conjux & pupilli in alterius potestate, atque adeò alieni juris esse dici possunt, cum tamen propriè sui juris sint.

VI.

Reciprocam in se invicem habent potestatem, Conjuges, neque se spontaneò quoque consensu vel dissensu eadem potestate abdicare possunt: Nimirum respectu nexus conjugalis. Finis tamen uterque, procreatio sobolis & mutuum, adjuvatorium certis conditionibus limitari potest.

VII.

Polygamiam Jus Naturale & divinum non damnat, neque etiam penitus approbat. Questionem verò de illa publicè movere vel recoquere velle, nec Rei Ecclesiasticæ,

siasticæ , necseculari statui moderno prodest. Sufficit
jam, Civili lege esse prohibitam, eamq; ultro ferro vin-
dicari. Tanqvàm paradoxum verò eadem quæstio , ut
& illa de furti poenâ capitali in Cathedrâ Academicâ ,
non verò Ecclesiasticâ cautiùs & securiùs ventilari potest.

VIII.

Distinctio inter Sponsalia de præsentis & de futuro in-
ventum est juris Canonici. Jure verò Civili ignoraba-
tur, neque distinctionis istius ratio conformis erat ejus-
dem temporis conditioni , aliam sponsalium & ma-
trimoniorum celebrandorum rationem exigenti. Pri-
or tamen distinctio in foro nostro justissimè defendi
potest.

IX.

Gradus prohibiti Levit. 18. non morali tantùm , sed
etiam naturali & politicâ ratione nituntur.

X.

Dispensationem itaque supremo Principi certis in
casibus , ex conjecturâ Divinæ voluntatis , atque ex
publicæ utilitatis ratione potiori movente
competere, dubitari quidem, sed negari
nequit.



01 A 6541



f

TA → OL

1018

VD 17



No. II.

MISCELLANÆ THESES.

Quas

Occasione Discursuum publicorum
collectas,

SUB PRÆSIDIO

JOANN à SCHULTZ SZULECKI, JCT.

privato publicæ disquisitioni submitunt

Respondens

JOANN FRIDER. STÜTZING,

& Opponentes

DD. BENEKENDORF. ET STRIMESIUS.

d. 25. Januar. M D C C II.

Francofurti ad Viadrum,

Typis TOBIÆ SCHWARTZII.

